

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5019

Auteur(s) : Innocent II [pape]

Bénéficiaire(s) : Rotrou de Warwick, Évreux (évêque)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1142, 4 janvier

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Innocent [II] prend l'église Notre-Dame d'Évreux sous sa protection et confirme les biens de ladite église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 489.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 16, p. 72-74.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII/2eéd.*, Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 8189, t. 1, p. 900.

Texte établi d'après b

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei. Uenerabili fratri Rotrodo Ebroicensi episcopo eiusque successoribus canonice promouendis in perpetuum. Equitatis et iusticie ratio persuadet nos ecclesiis perpetuam rerum suarum firmatatem et uigoris inconcussi munimenta conferre. Non enim Christi conuenit seruos diuino famulatui deditos peruersis prauorum hominum molestiis agitari et temerariis quorumlibet uexationibus fatigari, similiter et predia usibus celestium secretorum dedicata nullas potentiam angarias nisi debent extra ordinarium sustinere. Eapropter, dilecte in domino frater Rotrode episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus et beate Dei genitricis semperque uirginis Marie Ebroicensis ecclesiam, cui Deo auctore preesse dinosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: ecclesias uidelicet de Nonancort cum decimis reddituum tocius uille et unum mansum, ecclesias de Uernolio cum decimis reddituum tocius uille, annuam decimam de Uernone, scilicet decem libras Rothomagenses, terram de Bra(n)fort, que est in Anglia. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare aut eius bona uel possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere uel temerariis uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua

igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertio commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniuitate cognoscet et a socratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen.

R. Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus.

Ego Conradus Sabinensis episcopus.

Ego Albericus Hostiensis episcopus.

Ego Stephanus Prenestinus episcopus.

Ego Guido sancte Romane ecclesie indignus sacerdos.

Ego Yuo presb. card. tit. sancti Laurencii in Lucina.

Ego Goizo presb. card. tit. sancte Cecilie.

Ego Hubaldus presb. card. tit. sanctorum Iohannis et Pauli.

Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii et Bachi.

Ego Oddo diac. card. sancti Georgii ad uelum aureum.

Ego Guido diac. card. sanctorum Cosme et Damiani.

Ego Vasallus diac. card. sancti Eustachii.

Ego Octauianus diac. card. sancti Nicholai in carcere Tulliano.

Ego Guido sancte Romane ecclesie diac. card.

Ego Gregorius sancte Romane ecclesie indignus diac.

Ego Petrus diac. card. sancte Marie in porticu.

Dat. Lat. per manum Gerardi sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et bibliothecarii II non. ian., inductione Vta, anno dominice incarnationis M°.C°.XLI°, pontificatus uero domni Innocentii pape II anno XII°.